ib. Sed cum ipse (excommunicationis sententiam) parvipenderet (Innocencius papa sententiam depositionis in ipsum tulit, quam quidem depositionis sententiam Syfridus archiepiscopus maguntinus et episcopus cameracensis, recepto legationis apostolice offitio in colonia presente dicto Ottone rege contra ~~contra~~ dictum Adolphum executioni mandaverunt.

Bruno quartus.

48 Quadragesimo septimo loco, deposito quidem sicut premissum est per sedem apostolicam adolpho coloniensi archiepiscopo, successit in episcopatum, sedens sub predictis Philippo II et Ottone IV romanorum regibus annis tribus, venerabilis Bruno IV ~~quartus~~. Hic natione de Heynsbach[a] existens, post depositionem supradicti Adolphi ad episcopatum coloniensem electus per dominum Siffridum archiepiscopum maguntinum et duos alios episcopos de anglia per Innocentium (tertium) papam in officio delegationis destinatos fuit in coloniensem archiepiscopum consecratus. His igitur taliter gestis, dictus Adolphus depositus apud Spiram in conventu regio per Philippum regem ibidem cum optimatibus regni celebrato comparens, coram ipso Philippo rege sue depositionis sibi miserias patefecit. Cui idem Philippus rex compaciens, archiepiscopatum coloniensem hostiliter ingressus et ~~omnia~~ depopulans, et inter multas municiones captas cepit etiam oppidum ~~[illegible]~~ [b],

ib. F quod ipse dicto Adolpho deposito pro sue depositionis solatio assignavit ~~[illegible]~~ ~~annos domini~~ ~~1203~~. In hac siquidem armorum expedicione occurrerunt cum exercitu Philippo regi prefatus Otto, suus in regno adversarius, et cum ipso dictus Bruno IV ~~quartus~~ in coloniensem archiepiscopum iam promotus. Commisso autem inter ipsos bello iuxta Wassenbergh, dicti rex Otto et Bruno archiepiscopus terga vertentes campum dimittunt. Ipseque Bruno archiepiscopus per Philippum regem capitur, et tentus per annum unum in vinculis, tandem per duos cardinales missos in legatione in Almanniam pro pace inter dictos duos reges tractanda, domino pape Rome restituitur. Et postea prefato philippo rege per suos interfecto, dictus Bruno reversus ~~rursus~~ ad ecclesiam suam coloniensem est defunctus, et sepultus ibidem in ecclesia sancti Petri. Ea quoque tempestate est castrum Landschron in episcopatu coloniensi per Philippum regem supradictum ad oppressionem coloniensis ecclesie fuit constructum, prout haec et alia hanc hystoriam contingentia in superioribus, scilicet in cronicis imperatorum sub temporibus dictorum Philippi II ~~2di~~ et Ottonis IV romanorum regum plenius continentur.

[a] hengbach 14.1.

F Nuciense E

[b] circa annos domini 1203

13

/13.

Theodericus primus.

g p 49 ~~48~~. Quadragesimo octavo loco assumptus ~~est~~ ad pontificatum ~~episcopatum~~ coloniensis ecclesie Theodericus II, ~~primus~~, ecclesie sanctorum apostolorum coloniensis prepositus sub Ottone IV ~~quarto~~ imperatore predicto, sedit annis 5 ~~quinque~~. Iste Theodericus coloniensis archiepiscopus, cum dominus papa supradictum Ottonem Imperatorem suborta inter ipsos turbatione excommunicasset, et per prelatos Almanie sententiam huiusmodi executioni mandari percepisset; mandato apostolico non parens, sentenciam huius-